

Tit. II.

Quod Metus causâ gestum erit.

§. 1. Restitutio (I) quod Metus causâ spectatur vel materialiter quoad principia & requisita, vel formaliter quoad modum.

(I) Principia sunt

1. Internum ut Metus, qui est instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. (tum.

2. Externum ut Vis, quæ est actus inferentis & incutientis me-

§. 2. Hinc negotium mixtum est partim ab interno, partim ab externo principio, magis tamen ab interno. E. jure civili subsistit s. contractus sit, s. aliud quodcunque.

Prætor tamen hic læso succurrit.

Excipe 1. dotis, 2. libertatis, 3. matrimonii promissiones, quæ ipso jure nullæ sunt, nec indigent rescissione.

§. 3. (2) Requisita

1. Sit Metus validus, majoris mali certò futuri vel præsentis, necessitans nolentem alio remedio destitutum, ut: Metus mortis, verberum, stupri, amissionis fortunarum, carceris.

§. 4. 2. Inferens injusta vi & cum effectu justè præsumpto metum. Hinc non valet (incutiat.

1. Metus justè, h. e. ex aliis factis licito incussus.

2. Suspicio mali, dum vel ob potentiam vel ob reverenti-
am metum ipsi concipimus,

Excipe, si modus excedatur duriori tractatione aut minis.

§. 5. 3. Metu damnum afferatur. Hinc creditor metum incutiens debitori, ut solvat, non tenetur hoc edicto, benè tamen lege Julia de vi, si ipse sibi jus dixerit. h. t. l. 13.

§. 6. (3) Modus: Restituitur metu læsus vel nudè judicis officio rescindendo gestum, vel rescisso gesto, dando actionem utilem in rem aut in personam.

vel per exceptionem ex hoc edicto (quæ etiam fidejussori prodest) it. per Actionem ex hoc edicto.